This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

19119
d 66

600026965Y

G.76. M. 34

E. BIBL. RADCL.

19119 d. 66

RADIX

PLANTARUM MYCETOIDEARUM

SCRIPSIT

ET FIGURA AERI INCISA ILLUSTRAVIT

THEODORUS FRIDERICUS LUDOVICUS NEES AB ESENBECK

PHILOS. D. HORTI BOTANICI BONNENSIS INSPECTOR ACAD. C. L. C. NAT. C. SOC. REG. SOC. BOT. RATISB. PHYS. MED. AD RHEN. INF. HIST. NAT. WETT. ET REG. BAV. PHARM. SODALIS.

Cum Tabula aeri incisa.

BONNAE 1820.

Sumptibus ADOLPHI MARCUS.

Plantae omnes utrinque affinitatem monstrant, uti Territorium in mappa geographica.

LIN. PHIL. BOT. §. 77.

FRATRI DILECTISSIMO

CHRISTIANO GODOFREDO NEES AB ESENBECK

MED. ET PHIL. DOCTORI PROFESSORI BONNENSI

PRAECEPTORI SUO PIE COLENDO

OPUSCULUM HOC QUALECUNQUE

GRATA MENTE

D. D.

FRIDERICUS.

AUCTORES CITATI.

Alb. S. Albertini et de Schweinitz Conspectus Fungorum in Lusatiae superioris Agro Niesckiensi crescentium. Lipsiae 1805.

B. B. Bivona-Bernardi Stirpium rariorum minusque cognitarum in Sicilia sponte provenientium descriptiones, nonnullis iconibus auctae. Panormae 1813—16. Manip. III.

Bosc. Boscii Memoire sur quelques especes de Champignons in Magazin der Gesellschaft Naturforschender Freunde zu Berlin 5. Jahrgang. 2. Quartal.

Bull. M. Bulliard Herbier de la France. Seconde division. Histoire des Champignons de la France etc. 4 T. à Paris 1791.

Comm. nost. De Plantis nonnullis e Mycetoidearum regno Commentatio Doctoris Nees ab Esenbeck et FridericiNees, Fratrum, in Novis Actis physico-medicis Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae N. C. T. IX. 1818.

Dec. Decandolle-Flore française. Paris 1805.

Dittm. Dittmar die Pilze Deutschlands in Sturms Deutschlands Flora. 3. Abtheilung.

Ehr. Ehrenberg C. G. Sylvae mycologicae Berolinenses. Dissertatio. Berolini 1819.

— — — Nova genera tria proposuit Ehrenberg. In den Jahrbüchern der Gewächskunde von Schrader, Sprengel und Link. 2. Heft 1819.

Ehr. H. B. Fungi ab Adalberto a Chamisso in itinere circum terrarum orbem collectos enumeravit C. G. Ehrenberg, cum Tabb. IV. aen. in Horis physicis Berolinensibus. Bonnae 1819.

Fr. Fries E. Observationes mycologicae P. I. et II. Hafniae 1815—1818.

Holmsk. Holmskiold Th. Beata ruris otia Fungis Danicis impensa. Vol. I et II.

K. Myc. H. G. Kunze und J. C. Schmidt Mycologiſche Hefte. Leipzig 1817.

K. B. Z. Kunze in der Regensburger botaniſchen Zeitung. 2. Band. 1819.

L. Link, Observationes in Ordines plantarum naturales. In dem Magazin der Naturforſchenden Freunde zu Berlin. 3. Jahrg. 1. Quartal und 7. Jahrg. 1. Quartal.

Lib. Liboschütz, Beschreibung eines neu entdeckten Pilzes. Wien b. Camessina 1814. Mit einer Kupfertafel.

M. Martius C. F. P. Flora cryptogamica Erlangensis. Norimb. 1817.

Mich. Michelii P. A. Nova Genera plantarum. Florentiae 1728.

N. ab E. Nees von Eſenbeck Syſtem der Pilze und Schwämme. Würzburg 1816.

P. Persoon Synopsis methodica Fungorum. Gottingae. 1801.

P. Ch. Persoon Traité sur les Champignons comestibles de la France. a Paris 1819.

Reb. Rebentisch F. I. Florae Neomarchicae Prodromus. Berolini 1804.

R. Roth A. G. Catalecta botanica. Fasc. I. Lipsiae 1797.

Schr. Schrader H. A. Nova Genera plantarum. Lipsiae 1797.

— — — Journal für die Botanik. Göttingen 1799—1803.

Spr. Sprengel in Kunze's Mycologiſchen Heften.

Spr. n. Entd. Sprengel neue Entdeckungen im ganzen Umfange der Pflanzenkunde. 1. Bd. Leipzig 1820.

Trent. Trentepohl in Rothii Catalectis botanicis. Fasc. I. Lipsiae 1797.

Tode. Tode H. A. Fungi Mecklenburgenses selecti. Fasc. I. et II. Lüneburgi 1790 et 1791.

	Pag.
Hypochnus Fr.	7
Hyponermium L.	2
Hyponerma B. R.	2
Hypocrys P.	14
Hypoxylon P. Ch.	17
Hysterium P.	17
Iliosporium M.	3
Isaria P.	7
Leangium L.	10
Leocarpus L.	10
Leotia P.	13
Leptostroma Fr.	2
Licea P.	9
Lignyodium L.	9
Lopidium Fr.	17
Lycogala P.	9
Lycoperdon P.	11
Lysisporium L.	19
Melanconium L.	3
Merisma P.	13
Merulius P.	14
Mesenterica Tode.	14
Mitremyces N.	11
Mitrula Fr.	13
Monilia L.	7
Monosticha P. Ch.	17
Morchella P.	13
Mucor P.	8
Mycobanche P.	5
Mycogone L.	5
Myrothecium Tode.	9
Nemaspora P.	18
Naematelia Fr.	12
Nidularia Holmsk.	11
Oidium L.	5
Onygena P.	11
Ozonium L.	7
Pennicillium L.	6
Periconia P.	4
Peridermium L.	2
Peziza P.	15
Phacidium Fr.	17
Phallus P.	16
Phyllacteria P.	14
Phyllerium Fr.	19
Phyllosticta P.	2
Physarum L.	10
Pilobolus P.	6
Pisocarpium L.	11
Pittocarpium L.	9
Placuntium Ehr.	17
Podisoma L.	2
Polyangium L.	11
Polyactis L.	6
Polyporus Mich.	14
Polypera P.	11
Polysaccum D.	11
Polystigma P. Ch.	17
Polythrincium K.	6
Poronia P. Ch.	17
Porotheleum Fr.	14
Prosthemium K.	4
Puccinia N.	2
Pulvinaria Ehr.	17
Racodium L.	7
Rhizina Fr.	13
Rhizoctomum D.	12
Rhizomorpha R.	7
Roestelia L.	2
Rubigo L.	6
Russula L.	13
Sarcopodium Ehr.	4
Scleroderma P.	11
Sclerotium P.	12
Scolicotrichum K.	5
Schizoderma Ehr.	17
Schizophyllus Fr.	13
Seiridium N.	3
Serpula P.	14
Sepedonium L.	5
Solenarium Spr.	17
Solenia P.	15
Spathularia P.	13
Sphaeria P.	17
Sphaerobolus Tode.	10
Sphaeronema Fr.	17
Sphondylocladium M.	7
Sporidesmium L.	3
Sporotrichum L.	5
Spumaria P.	6
Stachylidium L.	6
Stegia Fr.	17
Stemonitis P.	10
Sterbeeckia L.	11
Sterrebeekia (?) Fr.	15
Stereum Fr.	14
Stictis P.	15
Stilbum P.	8
Stilbospora P.	3
Strongylium L.	9
Systotrema P.	14
Syzygites Ehr.	8
Taphria Fr.	6
Thamnidium L.	8
Thamnomyces Ehr.	17
Thanatophytum N.	13
Thelephora P.	14
Thelebolus Tode.	19
Torula L.	7
Tremella P.	12
Trichia P.	10
Trichothecium L.	5
Tryblidium Reb.	17
Tubercularia P.	4
Tulostoma P.	11
Typhula Fr.	13
Uperhiza Bosc.	11
Uredo L.	2
Uromyces L.	2
Ustilago N.	2
Verticillium N.	6
Virgaria N.	5
Xylaria P. Ch.	17
Xyloglossum P.	12
Xyloma P.	2
Xylomyzon P.	14
Xylophagus L.	14
Xylostroma L.	7

Iucundissima sane dilectatio Viris botanices cultoribus paratur, animo contemplantibus, quemadmodum industria naturae scrutatorum recentiorum factum est, ut sola familia plantarum cryptogamicarum nostris temporibus maiorem contineat copiam specierum, quam medio aevo plantae in universum distinguebantur. Quo magis autem exercitus plantarum, ut Linneanis verbis utar, indies crescit, conspectus generales diversarum familiarum maxime necessarii videntur, ne tirones, immensa multitudine perterriti, a studio plantarum alio deflectant, sed uti potius, cum universam familiam brevi tempore a se amplecti posse cognovissent, operi manus et animum strenue admoveant. Hac sententia conspectum quendam plantarum Mycetoidearum, in formam *Radicis* circumscriptum, ad exemplum stirpis illius egregiae Salicum, a Cl. *Seringio* editae, suscepi elaborandum, nec plane ludicri quid naucive me in hoc fecisse existimo, licet longissime a me absit in rebus tam parvis lineisque paucis, chartae inscriptis, vana scientiae promotae gloria. Secutus sum in hoc systema Fratris dilectissimi, ab amico *Martio* aliquantum immutatum. Pauca, quae mihi ad hunc finem necessaria videbantur, ipse aliter disposui, inventa recentiorum in meos usus converti et genera omnia, mihi nota, ita disposui, ut perfectiora quaeque imperfectiora exciperent.

Ex humo itaque, seu materie vegetabili, per decompositionem ex elementis chemicis orta, radix nostra evolvitur, ramos primarios, in modum furcae partitos, spargens.

In ramo sinistro omnes illae formae colliguntur, in quibus propagulum spurium dominatur, — Plantae *mycetoi-*

deae sensu proprio dictae (Pilze); — in dextro vero illae, ubi propagulum intra fila brevia (thecas L. ascos seu ascidia N. ab E.) receptaculis diversae formae ac substantiae reconditur, — *Fungi* (Schwämme). Ita enim plantae succedaneae Algis comparantur, quarum filamentosae ramo sinistro, globosae autem dextro respondent.

Infimum ramulum *primae* seriei, et primae quidem earum familiae, — *Coniomycetum* Martii, *Protomycorum* N. ab E. (Elementarpilze), — occupant *Coniomycetes Entophyti*, quae ex substantia vegetabili semidestructa ac difformi (Xylomata dico) prodeunt, substantia ista in cellulas, seu vesiculas, quas sporidia nuncupamus, dilabente. Huc pertinent Genera sequentia:

Xyloma P.
Leptostroma Fr.
Hypoderma B. B. et Dec.
Phyllosticta P. Ch.
Depazea Fr. T. 5. F. 7.
Actidium Fr. Obs. I. T. 3. F. 1.
Roestelia L.
Aecidium P. et Peridermium L.
Ustilago N. ab E.
Uredo L. et Uromyces L.
Dicaeoma N. ab E. et Puccinia L. Comm. II.
} Caeoma L. Comm. I. Hypodermium L. Comm. II.
Bullaria Dec.
Puccinia N. ab E. Aregma Fr.
Podisoma L.

Genus Aecidium Xylomatum Genus atque Ustilaginum coniungit.

Leptostroma est Xyloma in corporibus vegetabilibus emortuis.

Phyllostictae Sphaeriarum epiphyllarum prima vestigia sunt.

Actidium et Depazea sunt inter hos, qualia Phacidia, e ramulo emortuo erumpentia.

In Uredine parva accedit apicula, quasi rudimentum familiae sequentis. In Puccinia in longitudinem extenuatur et septis, seu annulis, transversalibus dividitur, in Podisomate demum stromatis primum vestigium occurrit.

Coniomycetes liberos paulo altiores collocandos esse censemus, quod sola vegetabilia mortua inhabitant, unde coniunctio elementorum minus impedita prodit. Genera ita sese sequuntur:

Cryptosporium K. *Myc. H.* T. 1. F. 1.
Achitonium K. B. Z. 1819. p. 49.
Fusidium et Fusarium L.
Stilbospora P.
Asterosporium K. B. Z. 1819. p. 225.
Seiridium N. ab E.
Bactridium K. *Myc. H.* T. 1 F. 2.
Sporidesmium L.
Apiosporium K. *Myc. H.* T. 1. F. 3.
Illosporium M.

Cryptosporium est Leptostroma, totum in sporidia elongata solutum.

In Achitonio Fusidii sporidia iuvenilia quasi reperiuntur et nondum in longitudinem attenuata.

Bactridium et Apiosporium sunt Coniomycetes liberi angiospori, Sporidesmium transitum ad Byssos asporas monstrat, in Illosporio demum tenues membranae, stromatis primordia, accedunt.

Ramulum tertium *Coniomycetes suffulti*, cives huius familiae iamiam perfectiores, occupant. Accedit vesiculis pars alia singularis diversae formae, quam Stroma vocamus. (Coniomycetes liberi Xylomati quasi innati.) Genera sunt:

Melanconium L.
Didymosporium N. ab E.
Epicoccum L.

Dermosporium L.
Exosporium L.
Sarcopodium Ehr. T. 5. Fig. 4.
Coryneum N. ab E.
Prosthemium K. *Myc. H.* T. 1. F. 10.
Periconia P.
Calycium P.
Aegerita P.
Tubercularia P.
Atractium L.
Gymnosporangium L.

Stroma, quod in Melanconio et Didymosporio vix observandum, per genera sequentia magis evolvitur usque ad Tuberculariam et reliqua genera, quae suo loco et colore et structura imagines formarum seriei dextrae fingunt.

Sporidia, in prioribus globosa, usque ad Prosthemium longitudine crescunt et septa acquirunt, in Periconia, Calycio, Aegerita et Tubercularia ad sphaericam formam redeunt et denuo in Atractio et Gymnosporangio extenuantur.

Verum ex adverso Periconia hanc sectionem cum Byssis quodammodo iungere videtur. Iam vero apicula illa in Uredine, supra memorata, crescit, expandit sese, in ramos dividitur cingiturque annulis conspicuis, tandem propagula, seu sporidia, secernit, quae, diverso modo filis variae formatis imposita, sequentem eamque amplissimam familiam *Hyphomycetum* M., seu *Nematomycorum* N. ab E. (Fadenpilze) constituunt.

Ad sinistram fila, quae floccos nuncupamus, tenuissima et fugacia, *Mucedinum* ordinem circumscribunt. In infimo ramulo brevi spatio gemmam huius ordinis quasi protrudunt *Mucedines aspori:*

Byssus L.
Acrotamnium N. ab E.
Asporotrichum L.

Sequuntur in proximo ramulo *Mucedines polysporae.*
Huc pertinent genera sequentia:

Sepedonium L.
(Mycobanche P. Ch.)
Mycogone L.
Aleurisma L.
Dacrydium L.
Collarium L.
Byssocladium L.
Sporotrichum L.
Geotrichum L.
Oïdium L.
Trichothecium L.
Scolicotrichum K. *Myc. H.* T. 1. F. 5.
Camptosporium L. herb.
Fusisporium L.
Arthrinium K. *Myc. H.* T. 1. F. 4.
Epochnium L.
Acremonium L.

Inter haec rursus alia genera, v. g. Aleurisma, Fusisporium, Epochnium, *Coniomycetibus liberis* respondent, sporis praedominantibus; alia autem, ut Mycogone et Sepedonium, *Coniomycetibus entophytis* accedunt; alia denique genera (Sporotrichum cum affinibus) stromatis floccosi evolutionem petunt.

In tertio ramulo *Mucedines capitati* oriuntur, floccis erectis et sporidiis regulariter coacervatis insignes. Genera sunt:

Haplaria L.
Acrosporium N. ab E.
Acladium L.
Virgaria N. ab E.

Botrytis L.
Cladobotryum N. ab E.
Stachylidium L.
Verticillium N. ab E.
Penicillium L.
Dactylium N. ab E.
Polyactis L.

In *Inomycetibus* (Byssis N. ab E.) ramuli sequentis flocci compagem firmiorem et una cum sporidiis colorem obscuriorem acquirunt et tum vero fibrae audiunt.

Hic primum in *Inomycetum gymnospororum* ramulo omnia illa genera colliguntur, quibus sporidia externe adhaerent, eoque referuntur genera sequentia:

Circinotrichum N. ab E.
Gonytrichum Comm. nostr. F. 14.
Helicosporium N. ab E.
Polythrincium Kunze T. 1. F. 8.
Campsotrichum Ehr.
Chloridium L.
Cladosporium L.
Helmisporium L.
Actinocladium Ehr.
Helicosporium N. ab E.

In *Inomycetibus angiosporis* ramuli proximi massa grumosa in fibrarum axi occurrit, quo pertinent, tanquam *Byssi entophytae*:

Erineum L.
Rubigo L.
Taphria Fr.
Cronartium Fr.
Fumago P.? si inter viva maneret.

In *Inomycetibus asporis* demum, quae hos sequuntur, omne sporidiorum vestigium desideratur:

Helicomyces L.
Hormiscium K. *Myc. H.* T. 1. F. 7.
Monilia L.
Alysidium K. *Myc. H.* T. 1. F. 6.
Alternaria N. ab E.
Sphondylocladium M.
Torula L.
Dematium L.
Racodium L.

Si plures fibrae inter se in stromatis speciem concrescunt, alia exoritur series evolutionis, *Inomycetum* scilicet *concretorum*, in alias duas partes divergens.

Inomycetes terrestres structura firmiori et sporidiorum defectu insignes:

Ozonium L.
Athelia P. Ch.
Himantia L.
Xylostroma L.
Hypochnus Fr.
Rhizomorpha R. (?)
(Chaenocarpus Reb.?)

Medio genere Hypochno Byssi in Sterea, *Fungorum pileatorum explanatorum* species, via fere continua abeunt.

Cephalotrichos, qui sequuntur, sporidiis, stromati subfloccoso vario modo adhaerentibus, distinguimus:

Ceratium Alb. S.
Isaria P.
Coremium L.
Cephalotrichum L.

Inter Inomycetes discretos et concretos brevis fert ramulus *Inomycetes*, quos *substratorum* nomine salutamus. Fibrae floccive decumbentes, conglutinati, contexunt stroma grumosum diversae formae, superne edens fibras conspicuas, integras in Amphitricho Comm. nostr. T. 6. F. 17., vel moniliformes et ramosas in Antennaria N. ab E. T. XXXIX. F. 298, ipso stromate in priori sterili quasi et asporo, in hac e fibrarum primordialium dissolutione fertili et thecigero. N. ab E. l. c.

Sarcocephali demum summum in hoc ordine evolutionis gradum attingunt, cum in

Stilbo P. et

Dacryomycete N. ab E.

stroma carnoso-gelatinosum evadit.

Sed alius adhuc ramus e familia Hyphomycetum assurgit, cuius ope hi cum familia sequente connectuntur. Flocci tenuissimi, fugaces, saepe diffluentes, e corporibus putrescentibus magis aquosis prodeunt, iis Mucedinum similes, sed nisu proprio sporidiorum involvendorum vel includendorum satis distincti, quos *Mucores* N. ab E. vocamus. Trichoderma transitum ostendit ab antecedentibus et in *Nematomycetibus vesiculiferis* primum sporidia propria membrana inclusa observantur, saepe tenerrima, ita ut eorum capitula in Hydrophoris aquae guttulae maxime similia appareant.

Huius loci

Aspergillus L.
Syzygites Ehr.
Thamnidium L.
Hydrophora P.
Mucor P.
Ascophora Tode.
Didymocrater M.
Pilobolus P.

In Aspergillo, Mucedinibus affini, ramorum apices tument, mox autem, sporis editis, collabuntur; in Syzygite Ehr. interanea, concretis ramulis, coeunt in globulos cito solvendos; in reliquis vesicula ista sporigera magis magisque evolvitur et tandem in Pilobolo tota a stipite aufugit.

Si plantulae familiarum antecedentium membrana plus minus firma obducuntur, sequens producitur familia *Gasteromycetum* N. ab E. (Balgpilze.)

Ad sinistram *Aërogasteres* conspiciuntur, qui e gelatina molli citissime incrementum absolvunt, membrana (peridium dicta) tenui fugaci vestiti. Uti Xyloma inter Coniomycetes, Byssus inter Hyphomycetes, ita prototypus huius familiae est Eurotium P., in quo peridia minuta stromati floccoso insident.

In primo ramulo Sporomesti reperiuntur, forma irregulari peridio fatiscente et sporarum magna copia insignes.

In *Sporomestis diffluentibus* omne capillitium desideratur:

Chaetomium K. *Myc. H.* Tab. I. F. 9.
Myrothecium Tode.
Amphisporium L.
Dichosporium N. ab E.
Dermodium L.
Licea L.

In *Sporomestis efflorescentibus* capillitii vestigium subfibrosum adest:

Aethalium L.
Spumaria P.
Enteridium Ehr.
Strongylium L.
Diphtherium Ehr.
Lignydium L.
Pittocarpium L.
Lycogala P.

Chaetomium K. ab Amphitricho ortum ducit, stromate intus granuligero. Myrothecii peridium furfuraceum usque ad Liceam magis perficitur; in Amphisporio sporas fusiformes, quae nucleum sporarum globosarum centralium ambiunt, peridii stratum proligerum cognoveris; Aethalium denique transitu excipit sequentia.

Trichocisti in ramulo altero forma regulari peridio sessili seu pedunculato vario modo disrumpente et capillitio, i. e. floccis capillaribus, quibus sporae adhaerent, farcto distinguuntur. Alia genera, peridiis irregulariter rumpentibus et capillitio immutato distincta, *Trichocisti lepidoti* audiunt:

Didymium Schr.
Diderma L.
Cionium L.
Physarum L.
Leocarpus L.
Leangium L.
Sphaerobolus Tode.

Qualis Pilobolus inter Mucores, talis Sphaerobolus inter Gasteromycetes.

Alia, iam perfectiora, peridiis gaudent regulariter dehiscentibus et capillitio elastice se expandente. Haec genera *Trichocisti cancellati* vocantur:

Trichia P.
Arcyria P.
Cribraria Schr.
Dictydium Schr.

In *Trichocistis dissolutis* demum capillitium integrum a peridio solvitur:

Stemonitis P.
Craterium Schr.

Geogasteres denique ultimum ramum incolunt. Peridium plus minus firmum et duriusculum evadit, modo vario, saepe regulari, dehiscens. Plerique huius ordinis etiam mole ab antecedentibus differunt, magis vero origine, cum, peridio iam efformato, e humo prodeuntes, massa humida, in capillitium et sporas solvenda, replentur. Genera ordine ita se excipiunt:

Onygena. P.
Scleroderma P.
Bovista P.
Lycoperdon P.
Uperhiza Bosc.
Tulostoma P.
Diploderma L.
Sterbeeckia L.
Geastrum P.
Actinodermium N. ab E.
Mitremyces N. ab E.

Onygena, ad Inomycetes cephalotrichos, — ad Gasteromycetes quosdam, v. g. Physarum, referenda, primordiale quasi genus hunc ramulum ex antecedentibus intrat.

Pauca genera a caeteris valde recedunt, in quibus sporae conglobatae capillitii loco distinctis peridiolis includuntur, quos, *Angiogasteres* nominatos, ad limites seriei collocamus:

Polyangium L.
Pisocarpium L. (Polypera P. Ch. Polysaccum Dec.)
Cyathus P. (Nidularia Holmsk. L.)
Epichysium Tode (?)

Ad alteram seriem rami primarii, versus dextram vergentis, genera cuncta referuntur, in quibus natura receptaculi, varie formati, ad ulteriorem evolutionem descendit, ita, ut sporae minutissimae intra fila minuta pel-

lucida difficilius observari queant. *Fungorum* (Schwämme) amplissima familia primum ramum occupat, materia plus minus carnosa et thecis in quibusdam imperfectioribus intrinsecus reconditis, in perfectioribus demum ad superficiem singularium partium, quas generali titulo hymenium vocamus, emergentibus distincta. Secundum hymenii indolem, thecas vel secernentis, vel una cum thecis diffluentis, duae hic nobis oriuntur sectiones.

Quale Xyloma in serie priori, tale Sclerotium in secunda hac serie. Massa huius globosa vel difformis, extus coloris obscurioris, intus obsolete vesiculosa, aspora.

Aliae species sunt epiphytae, inter quas nonnullae, quae merito proprium constituunt genus, (Erysibe nuncupatum), hypostromate floccoso nexum quendam cum antecedentibus moliuntur, (Auctoritatem, Cl. Sprengelii, (*neue Entd.*) secuti huc etiam trahimus genus Asteroma Dec.) vel, quales generis Coccoplei Ehr. species, ex fungis et herbis succulentis oriundae, semina parva irregularia referunt cellulisque magis discretis et rotundatis, veluti sporis, totae quantae exstructae, ope microscopii cernuntur. Huius loci Sclerotium Semen P. et alia. Aliae species subterraneae sunt et Tuberibus per Endogonem L. accedunt, in quibus textura magis evoluta, cellulosa et venosa evadit. Huius loci Thanatophytum N. ab E. (Rhizoctomum Dec.) Aliae denique (Genus Xyloglossum P. Ch., (Clavaria herbarum et sclerotioides Dec.), clavae formam induentia, ad Clavarias viam aperiunt. In genere polymorpho Tremella intra substantiam plus minus gelatinosam sporae reperiuntur thecarum expertes, ut, si habitum plane negligere fas esset, genus istud forte rectius ad Coniomycetes suffultos referretur. Aliae species, explanatae et depressae, Gyrariae salutantur, huius loci Encephalium L. (Naematelia Fr.) et Auricularia L.; aliae, erectae, subramosae, Acrosperma seu Coryne audiunt; denique in Tremella stipitata Boscii mitrae species apice apparet. Haec Fungos aërcos cum Fungis sequentibus clavatis connectit, qui quidem cum Fungis mitratis confluunt:

Merisma P.
Clavaria P.
Typhula Fr.
Helotium P.
Geoglossum P.
Spathularia P.
Mitrula Fr.
Leotia P.
Rhizina Fr.
Helvella P.
Morchella P.
Cladoporus P. Ch. N. ab E. F. 226.
Hericium P. Ch. N. ab E. F. 249.
Gomphus P. Ch.

Inter hos Merisma et Clavariae botrytoïdeae habitu ramoso distinguuntur, Clavariae simplices et Geoglossa Fungos mere clavatos exhibent. In Spathularia clava compressa et dilatata evadit, quae in *Fungis mitratis*, e. g. Helvella et rel., in membranam plicatam basi a stipite solutam et mitraeformem evolvitur.

Cladoporus et Hericium genera sunt quasi hybrida huius rami, illud scilicet Boletum clavaeformem et ramosum, — hoc vero Hydnum clavaeforme et saepe ramosum refert. Gomphus est Merulius clavaeformis.

Hoc modo, dum pars superior clavae, sensim sensimque a stipite separata, magis efformatur, *Fungi pileati* oriuntur.

Asterophora Dittm.
Amanita P.
Agaricus N. ab E.
(Russula et Coprinus L.)
Schizophyllus Fr. (Merulius L.)

Merulius P. (Cantharellus L.)
(Xylomyzon P. Ch. Xylophagus L. Serpula P.)
Daedalea P.
Boletus P.
(Hypodrys P. Ch.)
Polyporus Mich.
Systotrema P.
Hydnum P.
Coniophora Dec.
Thelephora P.
Phylacteria P. Ch.
(Thelephora caryophyllaea P.
Auricularia phyllacteres Bull.
Thelephora caesia P.)
Porotheleum Fr.
Stereum Fr.
Mesenterica Tode.

Duo genera agmen ducunt, Agaricorum scilicet et Boletorum, quorum illi hymenio lamelloso, hi autem tubuloso-poroso distincti sunt. Agaricorum vastissimum genus in duas sectiones abit, quarum prior (Agarici crescentes) hymenio sporis secretis non colorato exsucco, posterior hymenio sporis colorato succulento seu deliquescente distinguitur (Agarici hymenini). Ita in his, et prae caeteris in subdivisione Coprinorum, transitus indicatur ad ramulum secundum huius familiae.

Asterophora est Agaricus pusillus, Agaricorum parasita, lamellis sterilibus seu spuriis, vertice in sporas sexangulares, immixtis floccis, fatiscente. Memorabilis Fungus, qui exuvias quasi Gasteromycorum ordinis, a se pridem relicti, in Fungorum nuper ingressum agmen secum translatas deponit.

Schizophylli Fr. lamellis bipartitis, et Daedaleae hymenii lamellis reticulatim inter se iunctis, medium occupant locum inter Agaricos et Boletos, et Systostrema dentibus compressis laceris nexum monstrat cum Hydnis. In Merulio genere hymenium plicato-rugosum idemque tuberculis, in Porotheleo Fr. umbilicatis, — in Thelephora integris, obsitum reperitur. In omnibus his formae perfectiores stipitatae sunt et pileo plus minus regulariter efformato instructae, vel campanulato vel hemisphaerico vel a vertice in formam infundibuli depresso; sed paullatim stipes, e centro motus, planc disparet, unde *Fungi* oriuntur *explanati*, qui in Thelephoris, Porotheleis *) et Stereis Fr. in membranas tenues difformes repentes laeves margine byssino instructas abeunt, in quibus thecae desiderantur, ut merito aliorum Fungorum primordia habeantur nec multum distent ab Auricularіis e Tremellarum stirpe, neque magis ab Hypochno, Byssorum cive. Mesenterica Tode venis gelatinosis ramosis, Byssorum more, non sine floccorum contextu per ligna putrida serpit.

Hoc modo Sclerotium, in Agaricis stipitatis ad summum efformationis gradum evectum, rursus ad terram deprimitur.

Sed nova prodit evolutio. Membrana Thelephorae in patellas diversae formae contrahitur, quo *Fungi calycini* (Kelchſchwämme) oriuntur, forma plus minus calycina et hymenio in parte superiore thecis cylindricis fixis praedito insignes.

Stictis P.
Solenia P.
Peziza P.
(Sterrebeellia (?) Fr.)
Ascobolus P.

---

*) Quale Stereum inter Thelephoras, tale Porotheleum prodit inter Boletorum Porias.

Amplissimum Pezizarum genus in duas sectiones secedit, *) scilicet in Pezizas sessiles et stipitatas, quae, magnitudine, forma et consistentia valde variae, in eo omnes conveniunt, quod, thecis maioribus 6—8 sporis repletis et saepius paraphysibus stipatis instructae, similitudinem quandam cum floribus, masculis dictis, Muscorum frondosorum ostendunt.

Genus Ascobolus, thecas e superficie hymenii, Ascis protrusis, specie pulveris humidiusculi secernens, ob hanc indolem ad limites huius familiae ponendum esse credo.

In secundo ramulo huius familiae *Fungi pistillares* occurrunt, forma clavata, seu mitrata, et hymenio cum thecis liquido diffluente distincti.

Batarrea P.
Dendromyces Libosch. (sin re vera ab antecedente diversus.)
Hymenophallus N. ab E.
Phallus P.
Clathrus P.

Pauci tantum huc pertinent Fungi, atque hi quidem valde memorabiles, sed rarissimi, ut, Phallum impudicum si excipias, qui sporas, prima iuventute haud dubiis thecis inclusas, profert, reliqui ulteriori examine ac illustratione praecipue indigeant.

Postrema, quae restat, familia, *Myelomycetes* N. ab E. — (Kernschwämme, Xylariae L.) — complectitur, eaque naturalis merito dicenda. Fungi persistentes, globosi seu oblongi, integumento sub-

*) Cl. Fries, in Obss. Myc. Volumine secundo, Genus Peziza, ad subdivisiones, pridem a Persoone, celeberr. viro, excogitatas respiciens, per Subgenera, quae dicunt, hoc modo dispescuit: Burcardia (Pezizae tremelloideae P.), Aleuria (Pezizae helvelloideae P.), Lachnea (Pezizae strigosae P.), Phiala (Pezizae glabrae ceraceae P.), Dermea (Pezizae coriaceae P.).

ligneo plerumque regulariter dehiscente vestiti, intus nucleum carnosum in plerisque thecigerum, ceu Sclerotia altiora, foventes. Genera sunt:

A.

Peritheciis latius apertis, in longitudinem nitentibus.

Schizoderma Ehr.
Stegia Fr.
Placuntium Ehr.
Phacidium Fr.
Tryblidium Reb.
Hysterium P.
Solenarium Spr. K. *Myc. H.* T. 2. F. 24.

B.

Peritheciis ore apertis, in altitudinem nitentibus.

Dothidea Fr. T. 5. F. 4.
Polystigma P. Ch.
(Xyloma rubrum P. Sphaeria hyetospilos M. Comm. nostr. F. 21. — Sphaeria xantha Fr.)
Lophium Fr.
Ceratostoma Fr.
Sphaeria P. *)
Corynella Fr. T. 8. F. 1
Thamnomyces Ehr. H. Ber. **)

---

*) Cl. Persoon in opere de Fungis edulibus, nuper edito, Sphaeriae Genus in subdivisiones quasdam, seu Subgenera, hoc modo disposuit:

1) Xylaria comprehendit omnes Sphaerias, stromate clavaeformi praeditas, seu Cordylias Fr.
2) Poronia (Sph. PoroniaP.) est Sphaeria, stromate cupulaeformi (pezizoideo) gaudens.
3) Ad Hypoxylon (Pulvinariam Ehr.) spectant Sphaeriae omnes, stromate quocunque rotundato vel difformi praeditae.
4) Monosticha, Sphaeriae monostichae Pers.
5) Circinaria, Sphaeriae circinatae P.
6) Epistromata nuncupantur Sphaeriae, quas olim caespitosas appellaverat Autor.
7) Sphaeria denique, quas liberas consideramus comprehendit Sphaerias.

**) Thamnomyces hippotrichoides Ehr. Hor. Ber. (cum Usnea hippotrichoide Aut. non confundendus) aliaeque species, inter Thamnomyce-

Myelomycetes ramuli primi et secundi in dua agmina secedunt, ducente alterum genere Hysterio, alterum autem Sphaeria. Verum utrique horum id proprium esse videtur, quod a corporibus reclusis et quoad interiora imperfectis, mere granuligeris, in longitudinem extenuantur, quid, quod in summis utriusque seriei ramificentur, illa autem magis transversaliter in Solenario, haec vero perpendiculariter in Thamnomycete Ehr. Fit itaque Sclerotii (Coccoplei Ehr.) imperfecta radix medio Schizodermate perithecium fruticuliforme repens in Solenario, — media autem Dothidea Fr. frutex pulchella trichotoma, ramis apice sphaeruligeris, in Thamnomycete. — In Dothideis, Ceratostomis, Sphaeriis et Corynellis praeter perithecia propria stroma accedit explanatum vel hemisphaericum, quod demum in Sphaeriis peripheric is in formam clavae elongatum, una cum colore laetiori texturam suam, ligneam fere et coriaceam, in membranaceam et in carnem quandam vertit. Haec omnia maturo tempore regulari modo dehiscunt et thecas annulatas (2–3 granulis refertas) edunt, ascidiis (N. ab E.) mucosis involutas.

Hac indole *Nemasporis* ramuli tertii accedunt, quae e receptaculis parvis immersis saepe obsoletis globulos vel cirrhos, haud raro magnos, gelatinosos granuligeros per quoddam tempus persistentes emittunt. Huius loci:

Sphaeronema Fr.
(Sphaeriae medullares nobis. Cytospora Ehr.)
Nemaspora P.

---

tes a Cl. Ehrenbergio relatae, usque adeo similes sunt Rhizomorphis plerisque, ut liceat quaerere, anne totum Rhizomorpharum genus (ni locum inter Lichenes amplius servare possit,) Sphaeriarum potius familiae, quam Inomycetibus terestribus adscribendum sit. Quae sententia firmatur etiam structura fructus, quem in Rhizomorpha globosum sessilem poroque Sphaeriarum more pertusum observavit et pinxit Cl. Acharius in Actis Holmiensibus 1814. T. 9. B., idemque in Lichenographia universali.

Ad limites superiores totius regni Thelebolum Tode, valde singularem fungillum, collocamus, qui e stromate subcarnoso perithecium minutum deliquescens eiicit.

Sic itaque sporidium, in Coniomycetibus liberis nudum, in Coniomycetibus suffultis stroma vesiculosum acquirit, filamentosum evadit in Hyphomycetibus, et una cum stromate suo membrana includitur in Gasteromycetibus. Receptaculum carnosum prodit in Fungis, et in Myelomycetibus demum involucrum accedit magis firmum et persistens, quin in ramos divisum.

Perdifficile autem est, tantam rerum copiam ac diversitatem intra limites angustiores bene disponere atque enumerare.

A D D E. N D A.

P. 2. Lin. 22. Uromycis L. Comm. II. Synon. est Caeomurus L. Comm. I.
P. 3. Lin. 16. Post Apiosporium inseratur: (Conisporium L.?)
P. 4. Lin. 2. Exosporio adde: (Conoplea P.)
P. 5. Lin. 10. Post Sporotrichum adde: (Subgen. Lysisporium L. et Alytosporium L. Comm. II.
P. 6. Lin. 4. ab inf. Erineum L. adde: (Phyllerium Fr.) Ibidem lin. 3 ab inf. Rubigo L. adde: (Erineum Fr.)
P. 7. Lin. 9. ab inf. Post Hypochnus Fr. ins. (Hyphasma Reb.)

BONNAE.
TYPIS KUPFERBERGIANIS.